

pus desit, exponendis saltem deesse. Habemus omnium fere gentium documenta, de re vero, ut plurimum, publica imperitantium: haec domestica matrum senumque doctrina humanitatem proprius tangit: inde bello paceque gesta, hinc populorum indoles elucescit. Neque dubium, qui populo bene velit, ab his cognoscendis initium capere debere. Sunt prorsus haec rudimenta quasi fundamen, cui omnis legum, praceptorum, opinionum, in qualibet gente moles superstruenda videtur. Ast cum in latissima regione, quae ab Istro ad verae Graeciae fines inter duo maria patescit, innumerae tribus vario vel eodem tempore habitarint, plurimarum, puto, quaedam in lingua, moribus, memoria vestigia remanserint; magnam in iis colligendis tum praeципue gratiam doctorum hominum inibis, quum, quae optime cecineris, ea, unde et a quibus habueris, brevi commentatione indigitare velis; quo facto non solum diversorum, planitiei, littorum, montium incolarum ratio magis patescat, sed complura de eorum victu cultuque, memoratu digna, afferendi facultas erit. Ego vero persuasissimum habeo successiones regnorum sufficienter notas, hominum plerosque incognitos versari: nec nisi indagandis linguis traditionibusque ad eam illorum cognitionem aditum fieri, sine quales bonas fieri posse vix video.

Il Ferrich a lui:

. . . . . Hoc re  
 Certum ipsa, Illyricis superesse in gentibus et nunc  
 Perveteres quosdam sine lege, sine ordine rhythmos,  
 Quos quandoque meis audivi ipse auribus alta  
 Voce ab ruricolis sexus utriusque per agros  
 Cantari. At quisnam corruptos verteret, ante  
 Quam quis ad incudem revocans aerugine ab omni  
 Perpurget sapienti arte, et medici vice fungens?